DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE MANIACIS NUPERIS GISSENSIBUS A SOLANO FURIOSO...

Johann Jacob Mardorff

PRÆLOQVIVM.

QVantoperè Medici Artis ſuæ periti in Republica bene conſtituta ſint neceſſarii, vel ex eò quis perſpexerit, quod integræ ſæpe Urbes, imo Regiones, ab unius Archiatri ore & judicio pependerint: Sic Athenienſes, dum peſte laborabant, vitam & ſalutem acceptam ferebant Hippocrati, ſuccenſis ignibus eoſdem in integrum reſtituenti. Sic integram Græiorum gentem in ſolo Alexandro conſervabat Medicus Philippus & in Auguſto per Antonium Muſam reſtituto totum ſalvabatur imperium. E contra per morbum C. Caligula ſe ipſum & imperium Romanum peſſum dabat, & in priſtino ſeculo malè curato Bartholdo, multum Claſſis Veneta Præfecto, res non Veneta, ſed Chriſtiana inclinavit, Turcica evecta eſt. Ut taceam ſummam illam, quam in Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ morte nuper Copiæ Imperiales perpeſſæ ſunt, jacturam, poſtquam intoxicatis Gallorum capillamentis è medio eſt ſublatus, ut in nuperrimâ, quam ſubdolus ad mœnia hoſtis fru-

strà exspectabat, proditione Moguntinâ demùm innotuit. Bruta igitur, tantiq; Philosophis prorsus indigna est sententia, sive Catonis, *sive* Platonis, *quæ Medicis in urbe sua locum esse noluit, quacunque demum ratione explicetur. Fac enim temperantia (quam ante suaserant) leges curatissimè observes, non potes tamen non quandoque subitaneis & vix cogitatis Morbona injuriis obnoxius fieri, si per aerem Epidemicè vel Endemicè vagando, vel alia quavis occasione Urbibus & Regionibus exitium intendent. Triste hujus rei documentum eheu! dedit Gissa, gratissima Musis Colonia, quæ ab insulsa rusticorum plebecula undiq; divenduto veneno deplorandam sanè stragem esset perpessa; ni tempestivè & Magistratus & Medicorum vigilantia malum in prima, quod dicitur, herba suffocasset; digno, quod in annales referatur exemplo. Hinc cum eodem ferè tempore ex Superiorum voluntate vitæ Academicæ valedicere & Medicinæ Gradum ea, quæ decet, modestia primum acceptare jussus fuerim, operæ me pretium facturum existimavi, si pro argumento* Disputationis Inauguralis *notabilem hunc & oppidò rarum seligerem & seq;n modum expedirem*

CAS.

CAS:

PUella Rustica, Diœcesios Königsbergensis, eô tempore, quo

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur,

Mense sc. Augusto Anni modò currentis 1691. in vicino monte Dinæ vulgô **Dims-berg/** baccas legit myrtillis triplo majores, easque non obstante Pharmacopœi monito pro veris vaccinijs venum exponit, & ut cautius mercetur, sive dolo malo, sive merâ simplicitate alios persuader, fructus illos hoc anni curriculo pinguiores & succulentiores esse: Nec emptoribus destituitur, quibus in tantâ fructuum horæorum infrequentia salivam movebant bellaria visui non ingrata, eaque plus minus devorabant. Quid fieret? vix elapsa horâ subitaneis phlogosibus perfundunrur homines, cuto somnolentia quadam turbulenta, ex qua emergendo titubant & ebtiorum more fariscunt, vomunt nonnulli,

nulli, insaniunt & suspiriis in tripudia mutatis insolitum rident, furiunt & in adstantium crines involant: Accedunt convulsiones Epilepticæ, quibus teneriores & infantes potissimum correpti exspirabant. Patribus loci conscriptis de salute civium sollicitis & in causam rei insolitæ inquirentibus, innotescit demum ægros illos baccas solani furiosi pro myrtillis comesisse eâque de causa Medicos ordinant, qui miseris illis ocius succurrant.

RESOLUTIO.

§. 1.

QUemadmodum varia & Eruditorum & Plebeiorum de insolito hoc & prorsus extraordinario affectu judicia ferebantur, ita Medicorum ante omnia de nomine ejus solliciti erant in modum. Equidem *delirio* quodam ægros esse correptos, haud difficulter adstruebant omnes. Quandoquidem verò plura sunt deliriorum genera, hinc in specie determinandum erat nomen hujus delirii, quod omnium optime nos edocere potest accuratissimus Medicus Philologus *Joh Antonid.* **van der Linden**, qui in *Meletem part.* 3. §. 60. *Delirii* inquit, *apud me prima genera sunt insania & amentia. Insania est, si febris abest. Hujus species sunt Melancholia & Mania. Melancholia est si tristis & intra verba est. Mania verò si furiosa insana est. Amentia est, si febris adest &c.*

Quia

Quia igitur in præsenti casu & febris abest & delirium adest furiosum, hunc meritò ægros illos ad unum omnes illa deliriorum specie quæ *Mania* dicitur, laborare dixero, quæ vulgò *definitur* quod sit mentis alienatio cum furore sine febre á motuum animalium in cerebro abundantium perturbatione & fervore dependens.

§. 2.

Huic revera affectum adesse declarant 1. *Antecedentia*, esus sc. myttillorum illorum suppositiorum, qui, autopsia teste, vera erant soboles *solani somniferi*, seu, ut alias quoque audit *furiosi*, quia baccæ ejus deglutitæ furorem & maniam inferunt, attestante præter experientiam *Gregorio Horstio Nep. in Disp. Grad. de Mania* olim hic locorum habita §. 9. *pag.* 10. ubi inter plures causas Maniæ occasionales etiam solanum furiosum exhibet. Quam maxime verò illud 2. confirmant ipsa symptomata morbum hunc essentialiter *concomitantia*, furor sc. sine febri? Quæ cum maniæ definitionem constituant, hæcque præsenti malo conveniat, sequitur illi quoque definitum convenire. Accedunt denique 3. *Consequentia*, convulsiones sc. quæ maniacis pariter non sunt infrequentes, ex causis infra dicendis, sicuti in illustri & vere Regio Manodochio Hassiaco Haynensi, Patriæ meæ vicino, plures ejusmodi maniacos conspicere licet, qui simul Epilepsiæ aliisque convulsionibus sunt obnoxii.

§. 3.

Declarato jam affectu novus disserendi campus sese aperit de *subjecto* hujus morbi, de quo rursus haud unanimes erant Philiatrorum sententiæ. Pars ipsam animam rationalem seu mentem hic affici existimabant, qui tamen

tamen ſtatim ſuâ cadebunt cauſa, quia anima rationalis tanquam res cogitans eſt *unalis* & non niſi per accidens in operationibus ſuis impeditur. Alii ut omnia delira ita & maniam in ſtomacho radicari exiſtimabant, quò fere abire videtur *Helmontius Tr. Demens idea*, ubi ſedem animæ figit idem Author. Alii totum corpus: Alii cerebrum: Alii verò nervus animales hic potiſſimum affici cenſebant. Verum quam maximè etiam diſſentire videantur hæ ſententiæ, nihilominus tamen facilè componi poſſunt, ſiquidem inter ſubjectum inhæſionis & radicationis diſtinguamus. Quemadmodum igitur certiſſimum eſt, nervus animales proximè & immediatè à morbo affici, ita neque de nihilo eſt aliorum ſententia, qui ipſum pariter ventriculum ſuos hic manes pati aſſerunt, quatenus ſc. cauſa materialis ſuum inibi focum habet. Plurima enim delira è ventriculo eſſe, ex profeſſò egregiè oſtendit quidam *Gerresheimius in Diſput. Inaugurali. Francofurti ad Oderam ſub præſidio Dn. Doct. Iranæi Vebris habita*: Imprimis ea quæ à venenis etiam vegetabilibus oriuntur, quæ ipſum ventriculum primò omnium afficere ſolent, ut egregia obſervatione & propria autopſia confirmat Vir Excellentiſſimus & Experientiſſimus *Dn. Doct. & Profeſſor Valentini*, Hoſpes meus exoptatiſſimus, *in Epiſt. ad Dn. Doct. Widtium Archiatrum p.t. Moguntinum*, *De nova Matricis & Morbona Muliebr. Anatome*, ubi in binis Gregariis Philipsburgi ex cicuta devoratâ demortuis & à ſe ultro anatomico ſubjectis eſcharam reperit, à cicutâ ventriculo impreſſam; ſimiliter in noſtro caſu venenum in ventriculo adhuc hærens delirium illud intuliſſe, exinde conſtat, quod ſymptomata illa vix effluxâ horulâ ſint ſecuta. Horâ enim nonâ matutinâ, quod ex ipſò ægrorum ore habeo, baccas aſſumpſerunt, horâ decima verò, qua ultra ventriculi li-

mites

mites nondum transgressæ erant, delirabant. Ut adeoque ventriculum a causa morbifica immediatè & per essentiam, cerebrum verò nonnisi per consensum affici jure dixero, qui in admirandis illis plexibus stomachi nervosis à *Willisio Tab. XI.* detectis radicatus est.

§. 4.

Operæ verò pretium mereter, si hujus occasione quædam *de ventriculi* constitutione ex Anatomicis hic adferrem; verùm ne erambem ab aliis toties recoctam hic apponere videar, pauca saltem de summa hujus visceris *sensibilitate* hic attingere liceat. Noram enim meretur, nullum fere membrum in tota C. H. œconomia tanta gaudere *sensibilitate*, quam ventriculi orificium sinistrum, superius aliàs, sed minus accuratè dictum, quod vel levissime irritatum acutissimo dolore perfunditur, qui cordis dolori vulgò comparatur in Cardialgia. Fit autem illud ob insignes plexus nervosos à sexto, sive juxta modernos, octavo pari oriundos. Qua de causa quoque in affectibus ventriculi caput utplurimum in consensum trahitur; unde jam pridem *Blasius observ. medica XXI.* delirii ex ventriculo orti meminit, quodve in morbis complicatis delirium conjunctum habentibus ventriculum pro parte primariò affectâ habeant peritiores Medici. Ita in ipsis febribus malignis ventriculum primariò affic. asserunt *Thom. Bartholin. Cent. 3 Epist. 24. Helmont. Tumul. Pest. p. 843 & seq. Diemerbroek de Peste l. 4. hist. 15.* Unde non tantum in his, sed & aliis morbis à veneno & contagio ortis vomitoria tam insigniter laudari solent.

§. 5.

Venenum igitur intus assumptum non tantum sensibilem hanc ventriculi texturam, sed & universum ipsi-

 que con-

que continuum systema nervosum irritando, morsicando, vellicando, ~tus animales intus habitantes in confusos atque turbulentos motus agit, qui *proximam & formalem* ejusmodi furoris & delirii *causam* constituunt. Hujus enim intuitu ipsa Mens tam varia nullibique cohærentia phantasmata format, cum alias omnes sensuum externorum species illi per varias ~tuum animalium motiones repræsententur atque offerantur; Hinc pro diversitate motus, quem ejusmodi venena sive vegetabilia sive animalia inducunt ~tibus animalibus, varia & diversa quoque delira casurgunt ttistia sc. ridicola & furiosa. Sic crocus in nimia quantitate assumptus risum perpetuum inducere dicitur; Morsus Tarantulæ saltationem delirantem: Canis rabidi morsus hydrophobiam, felinus indolem felinam causantur. Curiosissimum verò est experimentum *Fabritii Bartholetti, qui lib. V. Method. in dispucam part. 1. cap. 1. pag. 392.* se pharmacum aliquod phantasticum elaborare scribit, ad quæcunque ferè deliriorum melancholicorum genera inducenda efficax, de quo pluribus vid. *Celeberrimus Ettmüllerus Dissertat. de Morsu Vipera cap. 1. punct. 1. § 3.* Sine dubiò diversa dosis diversos etiam motus & effectus exerit in spiritibus, sicut de ipsò solanò furioso quoque habet Monsr. *Geofroy Lanocier dans l'histoire des plantes pag. 516.* quod drachma ejus non noceat, plures delirium, quatuor mortem inferant: *Quatres drachmes tuent*, inquit, *moins font tomber en rage, une drachme ne fait point de mal.*

§. 6.

Et hoc ipsum est, quod pro *causa proxima materiali* in præsenti casu est habendum. Baccæ enim solani

lani hujus somniferi improvide divenditæ & comestæ omnem hanc malorum Lernam, modo supra dicto, intulerunt. Hoc enim vegetabile, (quod a Botanicis modernis *Merissone*, *Raio*, *Hermannô*, *Rivinô* & alus ad classem herbarum bacciferarum non scandentium Solani folia & fructu rubro refertur) copiosissimo gaudet sulphure narcotico, quo instar aliorum narcoticorum somnum provocat, unde & somniferum dicitur, qui tamen pletumque in delirium & furorem definit, cujus intuitu furiosum audit, sicut hæc omnia ex professo prosequutus est *Nobil. Dn. Doct. Faber, Polnæ Heilbronnensis in elegans Strychnomania*; Et hinc non sine causa narcotica ejusmodi remedia Narcotica dicuntur à *B. VValschmidio Doct. meo* atque *Præceptore quondam desideratissimo, in monitis suis circa opium & opiatorum usum p. 2.* Quemadmodum enim omnia omnino sulphura spiritu quodam acido coque satis acri atque corrosivo turgent, quod spiritus sulphuris per campanam destillatus adstruit, ita præprimis sulphur ejusmodi impurum narcoticorum particulas ejusmodi corrosivas abscondit, quæ in stomacho recluſæ & extravetſæ tunicas ejus atque plexus nervosos morsicant & spiritus animales intrus decurrentes in varias motuum *irregulares* concitant, unde delirium illud aliaque symptomata in casu nostro æque ac ab aliis authoribus enarrata fluunt. Vide antecitat: *Dn Doct. Faber c. l. Lobel. in adversſ pag. 103. Bodæus à Stapelen Comment. in histor. plantar. Theophr. lib. 6. c. 2. pag. 586 Simon Paulsen Quatr. bot. pag. m. 488. & alii.*

§. 7.

Mirari inde subit, cur Italis & Hispanis virulentissimum hocce vegetabile *Belle donna* audiat, quod tamen adeo tetri est odoris, ut ne bruta quidem illud præ-

reuntia deguſtare ſoleant, ſed cane pejus & angue fugiant: Niſi forte dixeris, quod baccæ ejus ut puellæ fuco incruſtatæ extus rideant & ovicularum pellibus incedant, intus vero lupæ ſint rapaces. Quamvis enim guſtui & viſui ſatis abblandiverint illi fructus, nihilominus tamen virulentiam ſuam in ſtomacho ſtatim abſcondere non potuerunt & hinc illæ lachrimæ! Hinc funeſta illa *ſymptomata* ſibi jugi ſerie *connexa*. Quam primum enim textura illorum in ventriculo aperitur & reſolvitur, mox acria de ſe ſpargunt miasmata & exhalationes, *unde Phlogoſes illæ* ſubitaneæ ſunt exortæ. Neque enim exiſtimandum eſt excandeſcentias illas à calore quopiam febrili fuiſſe exortas, cum extra ſtomachi cavitatem nondum pervenerit venenum. Quoniam verò miasmata illa copioſis ſcatent particulis ſulphureis narcoticis, ſpiritus animales plus minus figentibus, hinc in ſenſoria externa atque partes motui deſtinatas ſufficienti copiâ atqnevi elaſticâ influere non poſſunt, *unde ſomnolentia illa*, non plenaria ſed *turbulenta*, quia non penitus ceſſant à motu ſuo, ſed confuſè tantum & extra ordinem q.ſ.acti ἐν τῷ ὑγιαίνειν hinc inde diſcurrunt; unde & ægri *ebriorum in morem* de latere in latus inclinando *vacillabant*. Interea veneni corroſivitate ſe magis magisque exſerente atque fibroſas ſtomachi membranas irritando eundem in motum invetſum agit unde *Vomitus*, hoc quidem in caſu ſatis proficuus, cum eò mediante quædam ejus portio ſimul extra corpus eliminetur. Rudera verò ejus intus relicta atque acribus animalibus combinata eosdem in varias motuum aberrationes agunt, unde *delirium & inſania*, qui ira qſ peteiti & in *furorem* acti violento modò in partes motui deſtinatas exploduntur, unde

convul-

convulsiones epilepticæ in infantibus sequuntur, quia nervis gaudent teneroribus eamque ob causam motibus convulsivis magis obnoxiis.

§. 8.

Quantum verò periculi hinc immineat ipsis ægris, tristis cheu eventus jamdum ostendit, cum pueri quidam & infantes altero statim die exspirârint. Quemadmodum igitur *Hippocrate* teste in omnibus aliis morbis mente valere bonum, ita in ejusmodi delirus à veneno inductis præprimis

Orandum est ut mens sit sana in corpore sano.

Nisi enim venenum intus assumptum ocius è corporis humani œconomia fuisset expulsum, tandem ipsos actus tam vitales quam animales sive coagulando, sive dissipando omnino destruxisset & luce illorum extinctâ æterno sopore obruisset.

§. 9.

Ut ergo ægros ejusmodi, si ullibi, quod avertat Deus, similis se casus dederit, ex ipsis Orci faucibus eripiamus, non cunctandum est *in cura* maturanda, quæ tamen longe alia quam in mania à causa interna exorta, methodo atque via instituenda est. In hac enim purgantia, V.S. æque largè & repetitæ & specificavatia vulgo in usum deducuntur, quæ nostro in casu aut frustranea sunt aut omnia inconvenientia. Heic enim via magis compendiosa venenum in ventriculo adhuc hærens, *primò* est *exterminandum*, quàm ulterius ad M.S. devolvatur. Aut si quædam particulæ illuc penetraverint, *Secundò per universi corporis habitum atque poros eliminandum atque tertiò noxa visceribus illata emendanda.*

§. 10.

Prima indicationis satisfaciunt *Vomitoria* morbos quasi vectibus excludentia, ut Celeberrimus *Dn. Wedelius* eleganter habet *Introduct. ad Medicinam part. V. Sect. 8. §. 138.* Præ aliis autem hoc in casu laudatur vomitus *olei cini*, quo tanquam una fidelia duos dealbare potuimus parietes, cum & acrimoniam veneni obtundat & intervaniente vomitu ejiciat. Et hac ratione Venerandus Senex *Dn. Simon Pauli* Anno 1662. mense Augusto Nycopingæ in Falstria quatuor filiolas quinquennes & sexennes, quibus lusitantibus nebulo quidam paropsidem baccarum solani furiosi in merendam apposuerat, Deo propitio servavit, sicuti historiam hanc annotavit in *Quatriparti botanico pag.* 88. Quemadmodum & è nostris ægris, uxor civis Gissensis, **Weinheimer**/ cui adstantes maturè olei vomitum procuraverant, præ aliis tempestivè convaluit. Quandoquidem verò olea ejusmodi delicatioribus sint admodum adversa atque nauseosa, hinc illis alia in praxi Medica hactenus laudabiliter in usum vocata Emetica substitui poterunt, imprimis *Emetica Tartar. Emeticus*, absynth. Minsicht. vel simplicior modo absque ele absynth. paratus *Ludovici*, *Emeticum*, *Sapa Vomitoria Sylvii*, *Syr. Emet. Angel. Sala*, *infusiones Emet ex vitro aut cruce metallorum* &c. Sic delicatissimis etiam exiguo hoc & nil nisi saccharum sapiente pulvisculo imponere poterimus:

℞. *Sacchar. gr. vj.*
Tartari Emetic gr ij.
M. D. S.
Erbrech Pülverlein auff einmahl.
Vel loco vini absynthitis
℞. *Crucis Metall gr. iij.*

Infunde

Infunde in Vini Rhenani ℥ij. stent per ☉ in loco calido, mane exactissime filtretur, Cola.

℞. ℥j. *adde*
Extract. absinth. ʒj.
M. D. S.

Purgierender Wermuht-Wein auff einmahl.

Interim observandæ simul sunt cautelæ in vomitoriorum exhibitione annotandæ, quas præter *Minsichtium in armamentario Medico Chymico* sub præparat. Tartari Emetici edocent *VValaus, Sualve, Hoffmannus* & alii, qui de methodo medendi ex professo commentati sunt.

§. II.

His juxta 2. *indicationem* subjungenda sunt *diaphoretica* alexipharmaca atque bezoardica inter quæ palmam tenet *theriaca Andromachi*, quæ instar omnium est & quinta q. s. Essentia omnium simplicium sudorem moventium. Datur per se à ʒß ad ℥j. vel etiam aliis mantatur ad imitationem ante laudati Dn. *Simonis Pauli*, qui parilia symptomata à cicuta, byoscyamo & ipso solano somnifero illata seq. potione felicissimè curavit in digress. *de febribus malignis*

℞. ▽ *Chærefol.*
Card. bened aa. ℥ß.
Scabios. Matth. ℥ß.
Theriac. Andromach. vet. ʒij.
⊖ *Volat. C.C.* ʒß.
Syr de Scord. q. s. ad edulcorat. MF. haustus calide cum sudore imperandus.

Non sine causa verò *Theriac. veterem* in specie præscribit senex, quum recens opio minus adhuc subacto turgens similibus in casibus ita non conveniat, quàm antiqua,

quæ

quæ continua fermentatione essentificata majores in provocando sudore vires obtinet. Deinde alibi in *Quæstiones Botanic. p.m* 347. idem author impetare videtur, ut in junioribus quibus theriacam propinare subveterentur nonnulli, ejus loco *Diascordium Fracastorii* præscribamus quod similes quoque vires habet

V. G.

℞. ♈ *Galegæ.*
Card benedict ana ℥j.
Cordial fr. Herc. Sax. ℥ß.
Diascord Fracast ℥ß.
☉*ii Volat C.C. gr.* viij.
Syr. rubor idæi q. s.
M. F. Haustus.

Magnifica verò sunt quæ de *Orvietani Antidoto* habet *Helmontius* dum in *Tr. Butler* inscripto *part.* 1. *Oper. pag. m.* 558. *celeberrima*, inquit, *Orvietani antidotus sumta & in convulsiones usque ferociente venenositas omnes anxietates atque instantes syncopes statim conculcat, ac si nullum intro admissum virus foret.* Fuit autem Orvietanus famosus circumforaneus aut *Saltimbanco* Romæ, qui insanæ plebeculæ hujus confectionis usu fere ἀθανασίαν quondam promittere non dubitavit, quæ tamen parum aut nihil peculiare obtinet præ ipsa theriaca Andromachi aut Mithridatio, sicut ex ipsa descriptione, quam *Schroderus in Pharmacopœia Medico Chymica l.* 2. *C.* 51. *pag.* 185. habet, videre est. Possent adhuc pluta sudorifera *Pulveres*, & *tinctura hexardica*, *-nus* & ☉ *Volatil.* &c. hic in medium afferri, vetùm cum non copia juvet, sed selectus & pauca Medicum nobilitent, hæc instar omnium facilè sufficient.

§. 12. Su-

§. 12.

Supereſt ut *zelo* quoque *ſcepe* ſatisfaciamus, atque rudera à veneno jam exterminato relicta prorſus deleamus, quod plerumque *cardialgias* atque *ructus* ſtomachi moleſtos poſt ſe relinquere ſolet, quibus decoctum C. C. Compoſitum præ aliis contuliſſe experientia comprobavit:

℞ *Raſur. C.C.* ℥ß
Rad Scorzoner:
Carlin.
angelic. ana ℥ii
Sem. citro
aquileg. ana ℥ii
Zib. exacin. ℥i Coque

In ℔ q. *decoct. hordei* ſub finem coctionis adde

Conſerv. roſ. Rubr.
borrag.
bugloſſ. ana ℥i
Colat. ℞ lbii
ſyr rub. idæi ℥iii
Succ. Citr. dulc. ℥j

M. D. S.

Stärck-Tranck auff etlichemahl

vel

Sub forma Electuarii

℞ *Rad. helen. condit.*
calam. arom. cond.
Scorzoner Cond ana ℥ß
Diaſcordii Fracaſt. ℥ß
Olis abſinth ℥j
Cum *bred* Z. Z. *in India condit.* F. elect.
pro lubitu capiendum

§. 17.

In *dieta* quamdiu adhuc in ventriculo hærent particulæ veneni acres, conveniunt oleosa, pinguia, gelatinosa, spicula ejus obtundentia. Si verò ulterius ad M. S. penetraverint, ægri tractentur ut febricitantes.

TANTUM.

COROLLARIA.

I.

ROManos unquam Medicos universos è Civitate relegâsse falsum est.

II.

Unicum tantùm humorem in corpore humano esse, luceat exercitii causa defendere.

III.

Sicut unicum, quoq; spiritum illic reperiri certum est.

IV. Na-

IV.

Naturam negat, qui materiam mundi subtilissimam Cartesii *negat.*

V.

Datur Plethora, quicquid etiam Helmontius in contrarium adferat.

VI.

Hinc V. S. non prorsus è foro Medico eliminanda est.

VII.

Quemadmodum alkali & acidum ita quoq; viscidum & acidum, qua Bontekoe, *à Gehema & alii sibi sumunt, neutiquam omnium morborum causa sunt.*

IIX.

Impotentiam Virilem matrimonium dissolvere nego.

AD

PRÆCELLENTEM ATQVE NOBILISSIMVM

DN. CANDIDATUM.

BEllánc *donna* Tibi ſolitos decernit Honores
Solaque *Solani* præmia ſolus habes?
Scilicet ut rabidi ſubvertis ſpicla veneni
Sic Tibi virtuti, quod modò *virus* erat.
Gratulor ex animo, proſint tua pocula cunctis,
MARDORFFI miſeris, hæc mea vota, vale.

T. T.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
Doct. Medic. & Profeſſ. Gieſſenus, Academ. Germam. Curioſ. Adj. & Recup. in Italiâ Collega.